

EPISTOLA

strant regule de significatione & terminations.
Neg, enim ex Physica de Genere Grammatico doce-
ri possumus. Quem porrò fructum percipiunt pueri,
quando memorie suæ laboriosè infigunt: alvus, cal-
do, margo, frons, stirps, forceps &c. esse Generū
Dubii? Regula autem ipsa talis est: Dubii Gene-
ris sunt, quæ in eadem significatione ab Auto-
ribus alio atq; alio Genere usurpata inveniun-
tur. Quid quæso bīc subsumi potest? Addi omnino
debuisset, in quo Genere, à quibus Autoribus exem-
pla usurpatā sint, & quid puer tandem certi statue-
re vel imitari deberet. Hic enim est finis regularum
Grammaticarum.

QVINTA regula mitius tractanda est, Nam illa
non est prorsus falsa & nulla, sicut ceteræ: sed tan-
tum supervacanea. Quod enim generatim præcipi
poterat & debebat de omnibus Adjectivis unius ter-
minationis, quod Generis Omnis sint, (Vide Comp.
meum pag. 14.) id tradidit hæc Regula generalis
speciatim de Numeralibus tantum illis: quatuor,
quinqꝫ, sex, septem &c. Perinde ac si quis dicat:
In Ba 1. decl. Fæminina sunt, ut faba. In Ca
1. declinationis Fæminina sunt, ut vacca &c. cùm
tamen id totum unica litera A absolvī possit. Porrò
quod perperam hoc loco MILLE Substantivum
in singulari dicatur esse Indeclinabile, sicut MILLE
Adjectivum in plurali, docet evidenter mea Differ-
tatio p. 117. Eadem p. 94. 95. 96. & seqq. Lectori
aperiet nævios & defectus quamplurimos primæ
& sc.